

DISSERTATIONEM INAUGURALEM
De
**IGNIBVS TANTVM-
 LVCENTIBVS,**
 PRÆSIDE
 VIRO EXCELLENTISSIMO
 DN. M. IOH. CHRISTO-
 PHORO STVRMIO,
 Phys. & Mathes. Prof. Publ. Celeberrimo,
 DN. PATRONO ac PRÆCEPTORE suo
jugiter colendo;
 PRO
 SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
 legitimè impetrandis,
d. xxv. Junii
 An. M DC XCVIII
sistet discutiendam
 CONRADVS HÖGER, Noriberg.

ALTDORFI,
 Literis HENRICI MEYERI, Univ. Typographi.





DISSERTATIO INAUGURALIS

De

IGNIBVS TANTVM- LVCENTIBVS.

§. I.



Uanquam à multis hætenus vulgaris ille & quadrimembris Elementorum Peripateticorum numerus explosus atque reprehensus fuerit; tamen cum in istius locum nemo alius hætenus meliorem & commodiorem substituerit, nos & adhuc eum retinere, & sano sensu admittere non dubitamus. Si enim rigorose in ejusmodi numero vero, certo & accurato definiendo procedere vellemus, sane tot fere Elementa forent, quot corporum, nempe infinitorum, species. Ergo præsupponimus ante omnia cunctis corporibus naturâ & essentia eandem materiam inesse, tanquam commune subjectum, eorundemque differentiam in nullo alio positam, quam in diversarum particularum nexu, modo, dispositione ac collocatione, ut inde sint ac dentur tot proprie Elementorum species, quot diversæ particulæ materiæ simplicis existent. Itaque imitamur Logicos, innumera entia sub duabus classibus, nempe Substantia & Accidente comprehendentes, atque omnes elementorum species in hoc aspectabili mundo ad hæc quatuor summa genera & generalissimos

conceptus Ignis, Aëris, Aquæ, Terræque redigimus & revocamus, ut horum quodlibet rursus in sua subordinata & subalterna genera, quin inferiores etiam species, dividi possit ac distingui.

II.

Sit loco exempli Ignis, quem præcipuum naturæ & artis organon esse, cujus vis insit omni corpori, vitæ & motus opifex, non Stoici modo, sed & omnes Philosophi pene fatentur; eumque rursus in triplici genere & differentia constituunt veteres juxta & recentiores. Alius enim qui lucet quidem sed non urit, alius qui urit simul & lucet, alius denique qui ardet, sed non radiat. Primum esse vitalem ac plane cœlestem volunt, secundum sulphureum, tertium in terra salibus fumo & aquis stygiis quasi obrutum jacere. Nos horum trium solam differentiam causamque diversis tantum particulis varioque motui ascribentes, mittimus duas posteriores ignis considerationes ac genera, & ad prius nempe Ignis tantum-lucentis genus recto tramite nos conferimus; & ante omnia species nonnullas adducere, tum harum naturam paulo penitius rimari & rationes breviter exponere sustinebimus.

III.

Itaque primo loco ponamus Phænomena in aëre, illo communi cœli terræque Emporio, ex variis terræ exhalationibus cum primis viscosis ac pinguibus orientia, qualia sunt Ignes Fatui, Lambentes, Helena, Castor & Pollux, & quæ plura his erunt similia exempla. Ad Ignes fatuos quod attinet, puto vel ipsum nomen satis eorum essentiam & naturam indicare, talesque dici ad illum modum, quo urtica non urens fatua nuncupatur, quod sine ardore est instar flammæ, quam Naphthæ ferè, & vini spiritus alit accensus. Nam testatur ipsa experientia, (ut
filea-

fileamus rationem) tales ignes non urere, quia in Sylvis aliisque locis ad combustionem non incommodis oberant, quin ipsis rebus & corporibus, & vestibus hominum adhærent, uti Schottus recenset, & exemplis quibusdam illustrat. Ut taceam ignes Helenam, Castora & Pollucem &c. dictos, nonnunquam circa navium rudentes, & malos apparentes, quia ex eadem ferè, qua ignes fatui, constant materia, & tantum in hoc ab iisdem differunt, quod supra maria, illi supra terram, suum locum ac elementum nanciscantur. Ad Lambentes, exhalationes sua viscositate animalium præcipue crinibus ad hærentes, ab aliis particulis subtilioribus è corpore itidem exhalantibus attritas, & ab aëre ambiente compressas quod attinet; manifestè satis in jubeis aut aliis partibus quorundam equorum, ut & in certis hominibus ira ac alio spirituum motu effervescentibus, observari poterunt, & ad sequentia potius referri.

IV.

Secundo progredimur ad Viventium genera a naturali igne tantum lucenti prædita, de quibus Thom. Bartholinus in tractatu peculiari egit pluribus. Nam quod, ad homines attinet, fuere, e quorum corporibus interdum exhalationes in lucem & flammam se resolventes prodire; quod Laudatus Author. Lib. 1. c. 9. de Carolo Gonzaga Mantuæ duce, & Schottus de Puero quodam Jenensi refert, alique pluribus aliis exemplis confirmant. Testatur insuper Bartholinus de Theodori Bezæ oculis, in densissimis tenebris ita elucentibus, ut fulgorem externum circa orbitas efformarint; quod de felibus, præter experientiam testem, Plinius, & Bartholinus de Leonibus tradit, ac in halecibus, & forte aliis pluribus, erit conspicuum. Cæterum reperiuntur pisces multi, quædam Balænx, Dactyli &c. ostreæ, in capitis squamis aliisque partibus lu-

centes, de quibus videatur Gassendus in Vita Peirescii de piscium squamis noctu lucentibus loquens lib. 1. & Thom. Barthol. Cent. 1. ep. 82. In terrestribus animalibus varia reperiuntur lucem & radios emittentia, si vel strigili aut manu in adversum demulcentur, quod de pilis canum feliumque, nigrarum præsertim, aliorumque animalium experientia edocet. Quod de carnibus recens mactatis & adhuc calentibus Bovillis & Agninis Bartholinus tradit, Pet. Borellus Cent. 1. Observ. 3. confirmat. De Gallo Gallinaceo quodam, aliisque avibus, plura recensentur; cum primis Plinius mentionem injicit avium noctu in Hercynia Sylva lucentium, quas his versibus etiam expressit Dionysius Afer:

*Saltibus Herciniis Germania subjacet atrox
Hac tergo similis Taurino dicitur esse,
Et pascit volucres mirum fulgentibus alis
Quæis ducibus noctu cernuntur flexa viarum.*

De his videri potest pluribus in Dissert. peculiari Fellerus. Nos dicimus, rationi hæc postrema quidem non repugnare, sed experientia hætenus nondum satis confirmata esse. Itaque potius Cicindelas nostras & Lampyrides producemus, quas crebras hac in regione observamus de nocte lumen suum spargentes. Ubi non prætereundum (Cucay) Cucujo, est ex insectorum genere animalculum in Insula novi orbis Hispaniola, exæquans magnitudine ferè articulum digiti, habensque quatuor alas, duas valde exiles, duasque majores, quibus exiliores cooperiat. Hoc de nocte, ut Cicindelæ, lucere, & itineribus conficiendis, & lectioni scriptioniq; instar facis inservire potest; de qua re vid. plur. Rich. Blome in descript. Ins. & Regionum Anglicarum in America; ut vermiculos quosdam, aliaq; insecta taceam.

Tertio progredimur ad Plantas, Mineralia, aliaq; noctu lucentia. De Plantis varii variè; commemorat & Plinius & Ælianus & Josephus quilibet harum speciem diversam; nos Bartholinum & Itineraria audimus, ubi præcipuè enarratur, quod in Insula Ceylon arbor nocturno tempore splendens reperiatur in monte Pico d' Adam dicto vid. & Schott. *Phys. Curios. Ad Mineralia* si progredimur, equidem Sperlingius Carbunculum, gemmam flammæ coloris noctu lumen instar ignis effundentem, Lib. 6. *Phys. Instit.* vocat, Boylius de Adamante hoc in observationibus suis de Coloribus & in appendice quidem p. 349. testatur; Rohaltius tamen dubitare non cessat de his, putatque nullam verisimilitudinem esse, ea corpora admodum dura constare ex partibus, quibus seorsum insit quædam agitationis species; quanquam etiam penitus id negare non vult. Vid. c. 27. §. 26. Quid de Lapide Bononiensi, ope Solarium radiorum, noctu, vel in quovis obscuro loco, radiante, dicendum sit, infra discutiemus. Tandem quid de fluctibus marinis nocturno tempore, ubi fluctus ita concutiuntur, ut ignis aliquis lucidus appareat? quid de Saccharo frietu commoto, de aridioribus fungis, ac putridis lignis salicis & squamis? Ubi præterire non possum illud memorabile factum Cenethi Regis Scotiæ, qui certos homines piscium fulgentium squamis indutos, lignaque putrida in manibus gestantes, in conclavia Procerum Regni, qui vino somnoq; obruti erant, intromisit, ut eos fortiter ad pugnandum contra Pictos cohortaretur, certumque ac indubiam victoriam polliceretur.

VI.

Denique adducimus etiam hominum inventa, arte ministra quidem sed natura immediate operante, nempe
Chy-

Chymico Processu productas massas in tenebris nativa luce fulgentes, aut continuè, aut per intervalla & præcedente agitatione quadam. Dividuntur in duo genera, in siccum & liquidum. Sicci quidem primum specimen Joh. Danieli Krafft, & Elect. Brandenburg. Chymico Kunckelio ascribitur; ab hoc phosphorus fulgurans, ab illo Ignis perpetuus nuncupatur. Liquidi vero parvula vesica vitrea inclusi, & ex materia prioris generis cum aqua aut alio liquore intermixta præcipuè, constantis, Inventores varii à Boylio recensentur nempe Dnn. Krafft, Brand Chymicus Hamburgensis, & modo laudatus Kunckelii; quis autem prior horum sit, judicium suspendit. Vocatur hic liquor à Doctore Weisio Ignis frigidus, qui subito in tenebris gyrantis flammæ speciem præ se ferre solet, quando leviter commovetur. Hæc duo genera à Boylio noctilucae dicuntur, ad distinctionem Phosphorum, nempe Hermetici Balduini, Smaragdini Esholzii &c. in tenebris haut connatum, ut noctilucae, splendorem effundentium; & his insuper medium, nempe tertium, genus additur noctiluca aërea appellata, de quibus vid. Epist. Boylii de noctiluca aërea; & Excell. DN. PRÆSIDIS Phys. Hypothes. Cap. de Lumine & Color. Phænomen 2. & 4. & Hamelius in Appendice sui Tom. II.

VII.

His igitur sic enarratis, supponimus ante omnia, naturam & essentiam Ignium lucidorum consistere in brevi celeriq; motu particularum intestinalium, apte ac disposite figuratarum, ad rectilineum nissum pulsumq; æthereæ substantiæ imprimendum, eundemq; illicò in organis sensoriis visus nostri & fibrillis sistendum, sensumque luminis excitantem ac producentem. Lux enim quatenus percipitur, non corporibus sive objectis lucentibus proprie, sed sensui nostro inhæret, qui mediante motu à corporibus cumpri-

mis

mis lucentibus in fibrillis nostris excitato, constituitur, uti nec dolorem aciculæ nos lædenti, sed sensui ascribimus. Liquet hoc ex duobus evidentissimis experimentis, quorum alterum in vigilantibus, alterum in dormientibus accidit. Si in obscurissimis tenebris certo quodam modo affricentur oculi, vel si fortiter feriatur alteruter oculus, atq; ex eo partes ejus internæ insigniter commoveantur, scintillæ manifestissimæ exilire, oculo sic commoto, apparent, quæ illico motu cessante, desinunt. Etiam subito evigilando & oculos aperiendo in densissima nocte scintillulæ emicare videntur. Imo verò quoties accidit, ut dormientes lucidissimam flammam aut lucem videre nobis videamur?

VIII.

Quomodo verò ignes lucentes ætheream substantiam pellant, atque in organo nostri visus sensorio sensum illico luminis producant, si dicendum paucis sit, fieri id putamus agitatione quadam subtilissimarum particularum è corporibus ejusmodi lucentibus jugiter in omnes partes emissarum, ætherisq; circumstantis undique partes itidem valde subtiles, licet aliquantò majores & fortasse sphaericas, in omnes partes urgentium & secundum rectas lineas prementium; quam pressionem & nisum rectilineum exemplo baculi, fili, funisve extensi cujusdam facile declaraturi sumus, qui sc. dum una extremitate premuntur aut commoventur, statim pressio & nisus quoque in illorum altera parte erit & percipietur, quod in cœcis quibusdam baculo suo omnia sentientibus est conspicuum. Nam præsupponimus, ejusmodi globulos æthereos per totum orbem diffusos se invicem immediate tangere, & facta pressione suum nisum eodem momento circumcirca ubique rectilinea serie exserere; quod exemplo manifesto probamus, quando in loco aliquo excelsio sclopetum aut tormentum exploditur, fane illico & eo-

dem momento lux in plurium etiam magna intercapedine à se invicem distantium oculos se insinuabit, sonus autem gradatim à propioribus ad remotiores descendet. Itaque putamus lucis essentiam consistere in pressione ætheris rectilinea in oculis nostris terminata, atque hinc facile etiam nos deducere posse, cur interdum ejusmodi ignes lucidi plurimi non splendeant, quia debilior horum lux est quam solis, qui vehementiori sua pressione nos urget, ut minorem levemq; nifum ignium lucentium neutiquam sentire valeamus: instar hominum graviore morbo laborantium, dolores levissimos non attendentium.

IX.

Quid igitur multum dubitemus, ignium lucentium essentiam in intestinarum particularum motu consistere; annon hoc cum speciebus & apparentiis adductis concordat? Videamus putrida corpora, (piscium, lignorum, fælicum &c.) num aliter quam per motum putrescunt, quorum quædam partes etiamnum continuè avolant? quod satis manifestum in ligno putrido, cujus pororum laxitas ejusq; levitas æque diversum à priori statu testantur, ac carbo discrepat à ligno è quo factus est. Possumus quoque in Lampyridum ventribus, horumq; parvula quadrangulari parte, ope microscopii, reciprocum liquoris resplendescantis fluxum distincte observare, idque ex aliis viventium corporum exhalationibus satis luculenter probare &c. Ut taceam ignes fatuos, quos sæpius scintillulas emittere videmus intrinsecus agitados. Lapis Bononiensis nunquam lucebit, nisi radiis solaribus expositus, aut igni admotus incaluerit, vel, ut quibusdam placet, calcinatione quadam præparatus fuerit. Nam ignis illum porosum reddidit, ut inter ejus partes, quibus de nexu multum decessit, quædam adsint agitationes adeo

adeo facile receptibiles, ut vel solum lumen aëris eas valeat causari, atq; eo modo continuare, ut etiam remoto corpore lucido, quod particulas luminosas ipsius poris profundius infudit, tam diu fere, quam diu, ut Boylii non meis verbis rem exprimam, radiis solaribus expositus fuerit, soleant lucere. Quod & de aliis arte Chymica præparatis massis ostendi probarique posset, nisi festinatio & temporis penuria id prohiberet. De Adamante à clarissimo Claiton ex Indiis allato, quique nunc est penes Magnæ Britanniae Regem, variis motibus lucenti, observata pauca ex Boylio, jam demum in conspectum forte fortuna dato, producam. Solebat hic radiare & scintillas edere, quando corpore duro, ut tegula, ferrei styli acie, vel mucrone, aut digitis ipsis arctius premebatur, igni vero admotus debilem & momentaneam lucem spargebat, panno affrictus ut putridum lignum splendebat, terreno autem corpori ac duro motu celeri & reciproco affrictus, vehementiorem multam lucem, quam aquæ immersus etiam retinebat, vibrabat. Ut præteream aërem, quantum ad motum plurium lucidorum corporum contri-
buat, sua gravitate extremam superficiem & partes premendo, sicque majorem & copiosorem effluxum, motumq; intestinalium particularum promovendo: id quod in experimentis antliæ pneumaticæ abunde satis observatur.

X.

Haëtenus probato particularum intestinalium corporum lucentium motu, non sumus de earum figura multum solliciti, sed ostendimus porro, quod illæ particulae, cum prout omnis sensus in tactu aliquo, ita & lucis essentia, ex antea probatis, in pressione consistat; visus quoque nostri organon haut immediatè, sed mediante materia interjacenti, afficiant & attingant. Sane vix cre-

dibile est, ejusmodi particulas intestinas corporum lucidorum in momento ad oculos nostros immediate descendere, cum nullum ex hypothese nostra in rerum natura vacuum exstet, & per consequens etiam omnis corporum motus localiter & circulariter peractus aliquod notabile & successivum temporis spatium requirat; quod experientiae ac manifestissimo exemplo, antea in explosione tormenti adducto repugnaret. Vt taceam plures incommoditates alias, quas hypothesis de effluxu reali corporum lucidorum pateretur, quomodo tam parvulum saepius corpus in tam diversa inter se invicem multum diffita loca circumcirca undiquaque eodem momento suum lumen spargere possit; quod accuratissime (non meum, sed totius orbis literarii judicium erit) occasione Luminis solaris Excell. DN. PRÆSES, Venerandus Patronus ac Præceptor noster, in Physicæ Hypotheticæ Cap. de Lumine, talia quam solidissime refutans deduxit. Nos potius phænomena nostra attendamus, ubi evidentissimè cernemus, quod intestinae ejusmodi corporum lucidorum particulae, antea per aërem undiquaque inter homines dispersae atque volitantes, seorsum neutiquam sensum luminis producant. Nam observemus Ignem Fatuos, Lambentes, Helenam, Castora & Pollucem dictos, unde aliter quæso oriuntur, quam è collectione plurimum particularum exhalatarum per aërem antea ubiq; dispersarum, nec visu aut oculis prius perceptarum, quam cum per navium motum & aëris compressionem sua viscositate malis & rudentibus, item animalium pilis, aliisque partibus adhærentes colligantur, & in massam demum lucentem coeant. Nempe antea ejusmodi particulae non lucebant, quia impeditius agebantur, ita, ut nec in nobis flamma vitalis concedi possit, quia igniculorum motus ab aliis aquosis sanguinis partibus impeditur.

Quid

Quid dicam de frictu in dorso felium aliorumq; animalium peracto, item Sacchari &c, an non scintillulæ horum omnium indicant conjunctionem plurium exhalantium particularum lucidarum ab aëre compressarum? Quid de marinis fluctibus dicam, annon credamus, fieri illorum lucem ex congressu multarum particularum in superficie maris enatantium, & concussione fluctuum coalescentium, ortarum ex variis piscium terræque exhalationibus, & tamen ad multa milliaria eodem momento emicantium? Quid de liquidis massis arte chymica præparatis, & in antlia pnevmatica aëre exhausto splendentibus, nec tamen de pondere quicquam amittentibus? Annon hæc indicant, nullum realem effluxum corporum lucidorum fieri, sed potius eorum essentiam non tam in dispersione, quam unione & cohæsione particularum intrinsecus motarum, consistere? Ergo necessario credamus, dari aliquod medium, quod ejusmodi corporum lucidorum motum in sensibus & fibrillis nostris producat, uti exemplo evidentissimo de Lapide Bononiensi & adamantibus nonnullis poterit probari. Lapidis enim Bononiensis particulæ intestinæ non tam liberè semper moventur, ut avolent, sed prout annulus styli cujusdam aciei superimpositus levissimo tactu tremere incipit, ita & intestinæ particulæ Lapidis Bononiensis & adamantum quorundam radiis solaribus, frictu, & compressione excitatæ vibrare solent, suoque motu in nostri visus organo & fibrillis sensum luminis producere; quod rursus nullo alio modo fit, quam intercurrente medio aliquo & materia interjacenti subtili.

XI.

Quid vero interjacens materia sit, etiam ex Phænomenis nostris paucis probemus. Postquam observavimus, quod aër noster rarefieri, expandi & condensari pos-

fit, hoc verò absque subtiliori corpore aëris poros replenti & permeanti, nec concipi possit nec probari; supponendum putavimus dari adhuc aliam in aëre subtiliorem materiam, quæ subtiliores corporum poros, & cum primis pellucidorum, transeat. Et hinc potest deduci, cur piscis cuiusdam venter (juxta Boylii observ. in Ephemer. Gallic.) etiam exhausto aëre in antlia pneumatica, ut & alia liquida massa arte chymica præparata lucebant, quia scilicet hæc ipsa materia subtilis, poros diaphani corporis replens & permeans, usque ad oculum nostrum pertingit in rectilinea serie à subtilioribus particulis intra antliam pressa. Nec mirum, quod in aquis etiam pisces luceant, uti supra quoque adductus Adamas, cum hæc ipsa materia subtilis easdem aquæ particulas exagitans, omnes illarum poros replens usque ad corpora lucentia pertingat &c. Modum, quo pressio talis peragitur, supra Thef. 8. deduximus. Rectilineus autem ille nisus partim ex constitutione æthereorum globulorum ibidem declaratorum, partim ex legibus & natura motûs satis poterit probari.

XII.

Forfan vero quis quærat, si essentia corporum lucidorum lucisque tantum in motu ætherisque rectilinea pressione, in visus nostri fibrillis terminata, consistat, quomodo ergo ex tali subtilis materiæ & spirituum animalium motu sensus luminis in nobis nasci possit & oriri? Equidem hæc intricatior est quæstio; interea tamen credimus, quod lumen cœteræque qualitates non corporibus insint, sed immediate menti nostræ obversentur, eidemque, ut ideæ innatæ adhæreant, quæ vario spirituum animalium motu in fibrillis nostris ab externis objectis producto, excitari & sensus nomine venire solent, quas qualitates deinde mens nostra erroneo Judicio ipsis objectis motum in nobis producentibus affingere atque tum colorata,

lorata, insipida, sonora &c. corpora nuncupare solet, cum tamen hoc omne non corporibus sed potius sensui immediate menti nostræ obversanti inhæreat. Et heic maxima discrepantia principiorum oritur ex diversis hypothesebus de anima, nobisque penitus illi in principiis adversantur, qui animam pro tabula nuda habent, omnem cognitionem à sensibus derivant, ideas ut species corporum intra oculos immissorum atque in cerebro tanquam in speculo repræsentatorum, lumen colores aliasque qualitates ut spiritualia concipiunt &c, adeo ut omnia penitus ab extrinseco animæ accedere putent & ea cumprimis, quæ nos ipsi jam intrinsecus inesse credimus. Sane modus diversus est, res non semper. Nam quod lumen spirituale quid dicant, annon & nos illud fundamus in Spiritu nempe in mente; si motum, luminis causam, consideremus, annon hic à Spiritu producit nempe immediate à Deo? Quam convenientiam in aliis quoque annotare possemus, si angustia temporis id permetteret.

XIII.

Nunc postquam constat, omnem materiam passivam, rudem & inertem esse, corpora autem lucida moveri; omnino dicendum, dari aliquod ens summum, à quo omnis materiæ motus dependeat. Cernimus autem corporum lucidorum particulas intestinas agitari, his fibrillas nostras excitari, à fibrillis sensum luminis in mente nostra oriri, ut necessario concludamus, esse illud ens summum infinitè sapientissimum, quod tam bene inter se omnia coordinans quodlibet suo fine voluit potiri. Porro observamus innumeras corporum lucentium species, ut hinc eliciamus, esse illud ens omnipotentissimum. Ut taceam ipsius infinitam providentiam, de qua his etiam corporibus lucidis subinde nos monere & in ad-
mira-

mirationem sui rapere voluit; quod si vero in tam levi-
densi corporum lucentium genere suam curam & vir-
tutem jam exserere voluit; quanto magis nos, ut no-
biliore creaturas respicere, & ab omnibus imminenti-
bus periculis etiam indensissima nocte sua virtute custo-
dire & conservare volet? Ut præteream superstitionem
nimiam nonnullorum hominum, quam de Ignibus Fa-
tuis, Helena, Castore &c. concepere; quanquam non
penitus etiam negabimus possibile esse, ut Diabolus ho-
mines per eosdem ignes seducere & perterrefacere non-
nunquam tentet; cujus rei exemplum Schottus ex Fro-
mondo narrat Phys. Curios. Lib. XI. p. 1207. Sed ab-
rumpo, & cum festinationi nimiae mihi litandum fuerit,
hanc materiam paulo uberius deducere & tractare non
potui, nec enim angustia temporis, nec chartæ
spatium insuper illud permittebat.

V. L. B.

COROLLARIA.

- I. *Possunt Cartesianorum Elementa cum peripateticis con-
ciliari?*
- II. *Ignis levissimum est corpus, & ponderari potest?*
- III. *Lux & Lumen differunt.*
- IV. *Colores extra oculum non sunt.*
- V. *Colores reales nulli sunt & tamen omnes dici poterunt
reales.*
- VI. *Anima est immaterialis.*
- VII. *Nec à parentibus, nec à natura producta?*



Handwritten signature or mark.